

LOGICA

Aristotelis Stagiritae.



CONIMBRICAE.

Typis de novo expressis emendatione exceptis.

In Officina Antonij de Moxa.

1611.

Antoniae de Moxa.

¶ Porphyrij Isagoge

Argyropylo Byzantio interprete.

¶ PRÆFATIO AD CHRYSAORIVM.



*V*M necessariū sit, Chrysaori, & ad Aristotelis prædicamentorum doctrinam, quidnam genus, quid differentia, quid species, quid proprium, & quid accidens sit cognoscere: cumque & ad diffinitiones etiam assignandas, ac omnino ad diuisiones, demonstrationesq; conficiendas, utilis horum sit contemplatio: breuius enitar tibi ea, quæ apud maiores nostros de his ipsis sunt, tradere, quasi ingressum quendam tibi ad hæc omnia demonstrando. Atq; ab altioribus quidem quæstionibus abstinebo: faciliores autem sic asseram, qualiter nunc quidem tibi accomodatas esse coniecto. Protinus igitur genera quidē & species in rerum natura sint necne, an in solis, nudisq; conceptibus collocentur: & si corpora sint, an expertia corporis: & utrum separabilia sint, an in ipsis sensibilibus, & circa eas subsistant, dicere nunc omittam: quippe cum altissima sit talis tractatio, & alia maiore indigeat perscrutatione. *V*nde de ipsis verò cæterisq; propositis magis differendi modo veteres, horumque maxime Peripatetici tractauere, recensere nūc, atque ostendere tibi conabor.

✠ ij

PORPHYRII.
DE GENERE.
CAP. PRIMVM.



Idetur itaq; neq; genus, neq; species dici simplici-
ter. Dicitur enim genus, & aliquorum hominum
aggregatio: qui quidem ad vnum quippiam, & in-
ter se habent respectum, qua significatione Hera-
clidarum dicitur genus: quod quidem ex respectu, qui est ab vno,
id est, Hercule, & multitudine eorum qui inter se eam habent
coniunctionem, quæ ab illo profluxit, sic est nūcupatū, vt ab alijs
generibus sit seiunctum. Dicitur & alio modo genus vniuscuius-
q; principium ortus, tam ab eo qui genuit, quā à loco, in quo est
quispiam ortus. Sic enim Orestem quidem à Tantalō, Hylū
autem ab Hercule dicimus genus habere: & rursus Pindarū
quidem Thebanum genere, Platonem autem Atheniensem di-
cimus esse: patria namq; principium est generationis cuiusq;
perinde ac pater. Hoc autem significatum vsurpatius esse vide-
tur: Heraclidæ namque dicuntur, qui genere descendunt ab Her-
cule: & Cecropidæ, qui à Cécrope, & horum quoque p̄pinqui.
Atq; prius sanè genus, generationis cuiusq; principium dici-
tur: postea verò multitudo eorū qui ab vno principio, ceu Her-
cule, profluxerunt: quod quidem à cæteris seiungentes, ac sepa-
rantes, totum Heraclidarum diximus genus. Alio modo dici-
tur genus, id sub quo species collocatur, accepta fortasse similitu-
dine à prioribus vocabuli eius significatis. Nam & principii
quoddam eorum, quæ sub se habet genus, tale est: & prætereā
videtur multitudinem omnem amplecti, quam, scilicet, infra sese
continet.

His

His igitur tribus modis dicitur genus. De tertio verò genere philosophorum est sermo, quod & describentes sic assignarunt: Genus idesse dicentes, quod de pluribus specie differentiibus, hoc ipso quid est prædicatur, ut animal. Eorum enim quæ prædicantur, alia de vno solo dicuntur, ut individua, veluti Socrates, & iste, & istud: alia de pluribus prædicantur, ut genera, species, differentia, propria, & accidentia communiter, sed non cuiquam proprie. Atq; genus est (exempli causa) animal: species, homo: differentia, rationale: proprium, risibile: accidens, album, nigrum, sedere. Genus igitur ab hisce quidem, quæ de vno solo dicuntur hoc sanè differt, quòd ipsum de pluribus prædicatur. Ab his autem quæ de pluribus prædicantur, hisce differre videtur. A specie quidem, quòd species & si de pluribus prædicatur, nō tamē de pluribus specie, sed de pluribus differentiibus numero prædicatur: homo namq; qui quidē est species, de Socrate & Platone dicitur, qui non specie, sed numero differunt. At animal, quod est genus, de boue, equo, atq; homine prædicatur, quæ & specie, non aut numero solo differunt. A proprio verò, quod propriū quidem de vna specie cuius est propriū, & de indiuiduis hisce, quæ sunt sub illa specie prædicatur: ut risibile, de homine solo, & de singulis hominibus dicitur. Genus aut non de vna specie, sed de pluribus differentiibusq; prædicatur. A differentia quoq; cōmunibusq; accidentibus genus differt: Et enī differentiæ cōmuniāq; accidentia, quāquā de pluribus ac differentiibus specie dicuntur: non tamen ita ut quid sit quidq;, sed ut quale quidq; sit innuant, dicuntur. Rogitantibus enim quid nam illud sit, de quo hæc dicuntur, genus respondemus: differentiās & accidētia

tia

PORPHYRII.

tia non respondemus: nō enim de subiectis illa in quid, sed magis in quale quid dicuntur. Interroganti namq; quale quid est homo rationale dicimus: et quale quid est coruus, nigrū dicimus. Quorum rationale quidem est differentia, nigrum autem accidens. Sed cū quid est homo interrogamur, animal respōdemus, quod quidē hominis genus est. Genus igitur, quod de pluribus quidē prædicatur, ab indiuiduis, quæ de uno solo dicuntur, differt: quod uerō de pluribus prædicatur specie, differentibus, ab ijs, quæ ut species propriae dicuntur differt. Denique quod quid quidque sit dicit, a differentijs, uulgoque accidentibus differt, quorum unumquodq; non quid sit, sed quale sit, quomodū id de quo dicitur habeat, dicunt. Nihil igitur uero generis intellectu plus minusue memorata generis descriptio habet.

De specie. Caput. II.

Species autem dicitur quidem, & de uniuscuiusque forma qua significatione dici solet, præstantissimam formam dignam esse imperio. Dicitur autē & de eo, quod sub assignato genere collocatur: qua significatione hominem quidem speciem animalis dicere consueuimus, quod quidem est genus, album autem speciem coloris, & triangulum figuræ speciem.

Tex. ij.

Quod si genus assignantes, mentionem fecimus speciei, genus id esse dicētes, qđ de pluribus differentibus specie, hoc ipso quid est prædicatur: & nūc id esse dicimus speciem, quod sub assignato genere collocatur, sciendū est, cū & genus alicuius sit genus, & species alicuius sit species, alterū alterius, utrūq; utriusque definitionibus adhibere necesse esse. Assignant igitur

Tex. iij.

spe-

speciem & hoc modo: Species est id quod subiicitur generi, & de quo genus hoc ipso quid est prædicatur. Insuper hoc etiã pacto, species est id, quod de pluribus differentibus numero, hoc ipso quid est prædicatur. Verum hæc quidem assignatio ipsius erit infimæ speciei, & quæ tantũmodo species est: cæteræ uerò & hisce competent, quæ non infimæ sunt. Atque id quod diximus, hoc pacto fuerit manifestum. In unoquoq; prædicamẽto sunt quædam summa genera, & quædam infimæ species: & inter hæc media quædam sunt, quæ genera eadem speciesq; dicuntur. Est autem id quidem summum genus, supra quod nullũ omnino genus transcendit: infima uerò species ea, sub qua nulla prorsus alia species collocatur. At inter hæc, summũ inquã genus speciẽq; infimam, sunt alia quæ genera sunt eadẽ speciẽq; nõ eiusdem tamen, sed diuersorũ respectu. Explicetur autẽ id quod diximus uno in prædicamẽto dilucidumq; fiat, hoc pacto. Substantia est quoddam & ipsa genus, ut patet: atq; sub ipsa quidem est corpus, sub corpore uerò est animatum corpus, sub quo animal cadit. Sub quo rursus animal particeps rationis est, sub quod homo cadit: sub hunc Socrates, Plato, singuliq; homines collocantur. Horũ igitur substantia quidem genus summũ, maximeq; patẽs est, solumque genus: Homo uerò species ima, & species solũ. At corpus species quidem est substantiæ, genus autẽ corporis animati: Animatũ uerò corpus, species quidem est corporis, genus autem animalis: rursus animal, species quidem est animati, genus autem animalis participis rationis. Homo uerò species quidem est animalis participis rationis, genus autem hominum singulorum non est, sed species solũ. Atque
omnino

Tex. iiij.

v. 2. I

v. 2. I

PORPHYRII.

omnino id omne quod est ante individua & de ipsis sine ullo medio prædicatur, species erit dumtaxat, nullo modo generis rationem subibit. Vt igitur substantia, quæ supremum est, propterea quod nihil est ante ipsam, genus est summum, uti diximus: sic & hō, quia species est, sub qua nulla species prorsus, nec quicquam eorum quæ diuidi in species possunt, sed individuorum (individuum enim Socrates, & Plato, atque hoc albū est) species erit profectō solū, ac ultima species, specialissimaq; species, ut diximus. Media verō species eorum quidem erunt, quæ sunt ante ipsa: genera autem eorum, quæ sub ipsa sunt collata.

Tex. v.

Quare hæc quidem duos habent respectus, vnum ad ea quæ antecedunt, quo species: alterū ad sequentia, quo genera illocorū esse dicuntur. Extrema uerō unum habet dumtaxat: summum enim genus ad ea quidem, quæ sunt sub se collocata respectum habet: est enim genus, ut patet: ad superiora uerō nullum profectō habet: cum supremum sit genus, & ut principium primum, atque (ut diximus) id, supra quod nullum inueniri genus omnino potest. Ima quoque species unum habet respectum. Habet enim ad supera, quorum species dicitur: ad infera uerō non diuersum habet, sed individuorum species dicitur. Atque in individuorum quidem species dicitur: ut continens ipsa: superiorum autem rursus species appellatur, ut continetur ab illis.

Tex. vj.

Definiunt igitur genus summum sic, quod genus cum sit, non est species, & rursus, supra quod nullum aliud omnino genus transcendit. Speciem uerō imam hoc pacto, quæ species cū sit, nō est genus, & rursus, quæ species cū sit, alias in species diuidi nequit. Et in super, quæ de pluribus differentibus numero: ip

so quid

so quideſt prædicatur. Media verò, quæ his inter iacent, alia aliorum alternis genera ſpeciesq; vocant, atq; vnumquodq; ipſorum ſpeciem eſſe genusq; ſtatuant, non reſpectu tamen eiſdem, ſed diuerſorum. Ea enim quæ ante ſpeciem imam uſque ad ſummum genus aſcendunt, & ſpecies & genera alternis dicuntur: vt Agamēnon Atrides, & Pelopides, & Tantalides, actandem Iouis filius. Verū in familijs quidē ad vnum velut Iouem, plerūque principium ipſum reducitur: in generibus autē non ita res ſeſe habet. Non enim ipſum ens, vnum omnium genus cōmune eſt, nec vniuerſa generis eiſdem, ſupremo, ſcilicet in genere, vt Ariſt. inquit, euadūt. ſed vt in prædicamentis prima genera decē quaſi principia decē prima ponantur: Et ſi enī ōni quis etiā vocauerit, æquiuoce (inquit) & nō vniuocē vocabit. Nā ſi ipſum ens cōmune ōnium genus eſſet, vniuocē vniuerſa proſectō entia dicerentur. Cū autem ſint decem prima, communicatio nomine tantum, haud verò & ratione, ad id nomen accommodata eſt. Genera igitur ſunt ſumma quidem de-
Tex. vii
 cem: ſpecies autem imæ numero quidem ſunt aliquo, at non infinito. Individua verò quæ ſub imis collocantur, ſunt infinita. Quapropter deſcendere à ſummis uſque ad ima Plato iubebat, ibique ſtare: deſcendere verò per media, differentijs ſpecificis diuidentes, infinita autē omittere: neque enim cadere ſub ſcientiam poſſe. Cū igitur ad imas deſcendimus ſpecies, trāſire per multitudinem diuidendo neceſſe eſt, at cum ad ſumma aſcendimus genera, in vnum multitudinē ipſā colligamus oportet. Species enim in vnā naturam multa congregat, & magis id etiam genus. Particularia verò ac ſingularia vnum ē contra in
A multa

ISAGOGÆ

multa semper diuidere videntur. Speciei quippe communica-
tione, homines complures homo vnus sunt: at vnus atque commu-
nis, ipsis particularibus plures. Singulare nanque diuisium
semper est: ipsum vero commune, collectiuum, vnus suapte na-
tura efficax. A signato vero genere, specieque, quidnam
vtrumque ipsorum sit, cum genus sit vnum, species vero
plures (diuisio nanque generis in species plures semper
est) genus quidem semper de specie prædicatur, omniaque
omnino supera de inferis semper dicuntur: species vero neque
de propinquo sibi genere, neque de vlllo supero prædicatur: non
enim conuertitur. Nam aut paria de paribus, vt hinnibile de
equo: aut maiora de minoribus, vt animal de homine, prædican-
tur oportet: minora vero de maioribus non oportet: non enim
animal hominem esse dixeris, qualiter hominem animale esse di-
cas. Atq; de quibus species prædicatur, de his & speciei ge-
nus, & genus etiam generis, vsque ad summum genus necessario
prædicatur. Nam si verum est dicere, Platonem hominem, &
hominem animal, & animal substantiã esse: verum, & Pla-
tonem animal dicere, & substantiam. Cum enim supera sem-
per de inferis prædicentur, species quidem de indiuiduo, genus
autem de specie ac indiuiduo, summum vero genus & de gene-
re, vel de generibus, si plura media subalternaque sint, & de
specie atque indiuiduo prædicabitur. Summum enim de generibus,
& speciebus, ac indiuiduis omnibus prædicatur: illud aut quod
est anteimam speciem genus, de vniuersis imis ac indiuiduis
dicitur: ea vero quæ est solum species, de omnibus indiuiduis præ-
dicatur: indiuiduum autem de vno solo particulari. Indui-
duum

duum

duum autem dicitur Socrates, & hoc album: atque hic accedens. Sophronisci filius, si solus Socrates illi filius est. Individua igitur ex eo talia dicuntur, quia ex proprietatibus quidque constat, quarum idem aggregatum nunquam in alio fiet. Socratis namque proprietates nullo in alio particulari eadem fient. Hominis autem, communis dico, proprietates eadem in pluribus, imò verò in omnibus particularibus hominibus, quatenus homines sunt, fiunt atque inveniuntur. Individuum igitur à specie, & species à genere continetur. Genus enim est quoddam totum, individuum autem pars. At species & totum, ac etiam pars est: sed ut pars quidem ad aliud: ut totum autem non ad aliud dicitur, sed in alijs. Totum enim in ipsis partibus est. De genere igitur atque specie, & quidnam sit summum genus, & quid una species, & quæ sint eadem genera speciesque, quæ præterea sint individua, & quot modis genus speciesque dicantur, satis iam explicauimus.

¶ De differentia.

Cap. III.

Differētia verò, & cōmuniter, & pprie, & pprijsimè dicitur. Differre nāque quippiā cōmuniter dicitur, cum diuersitate aliqua quouis modo aut à seipso, aut ab alio differt. A Plat. nāque Socrates diuersitate aliqua, atque à seipso puero vir factus, & agēte nō agēs differt. Et semper hæc differētia in ijs est sanc diuersitatibus, quæ consistunt in hisce, quæ cū interrogamus quo modo res se habet, assignari reddique solent. Proprie verò aliqua differre dicuntur, cum in separabili differunt accidenti. Et inseparabile quidem accidens est, ut cœ-

A ij ruleus

IS AGOG E.

Tex. ij.

rulens oculorum color, ut simitas, ut cicatrix calo ex vulnere inducto. At propriissime quippiam a quopiam differre dicitur, cum specifica diferencia differt: qualiter ab equis homines specifica rationalis differentia differunt. Omnis igitur in uniuersum differentia, diuersum alicui adiuncta facit: sed communiter quidem & proprie differentiae, diuersum per accidens faciunt: propriissime vero diuersum per se, quod quidem & aliud dicitur. Differentiae igitur quae diuersum per accidens faciunt, tantum differentiae: quae vero aliud ac diuersum per se, differuntiae specificae nuncupantur. Animali nanque differentia rationalis adiuncta, aliud sane ac animalis speciem fecit: motus autem additus, diuersum a quiescente tantummodo facit: haec igitur aliud, illa diuersum tantum fecit. Differentijs igitur hisce quae faciunt aliud, diuisiones generum in species fiunt, & definitiones etiam assignantur, quae quidem ex genere talibusue differentijs constant: caeteris vero diuersitates per accidens tantum emergunt, cuius quo de qualiter sese habet interrogatur.

Tex. iij.

Rursus igitur a principio differentiam diuidentes, differentiarum alias separabiles, alias inseparabiles dicimus esse. Moueri namque quiescere, & valere ac aegrotare, et quae sunt similis generis, separabilia sunt: aquilinum autem esse vel simum, & rationale

Tex. iiij.

le & irrationale, inseparabilia sunt. Inseparabilium rursus alias per se, alias per accidens esse. Rationale nanque & mortale, & susceptiuum esse scientiae, per se homini competunt, at aquilinum, vel simum per accidens, & non per se competit. Quae igitur per se competunt in substantiae ratione sumuntur, & aliud faciunt: quae vero per accidens competunt, nec in substantiae

rati-

ratione sumuntur, nec aliud faciunt sed per accidens diuersum. Et hæc quidem, quæ per se competunt nec intendi nec remitti volunt: quæ verò per accidens, & si in separabiles sunt, intensiorem remissionemue suscipiunt. Neque enim genus magis minusue de eo cuius est genus dicitur: neque generis differentiæ, quibus in species genera diuiduntur. Hæc namque sunt, quæ cuiusque rationem conficiunt. At vniuscuiusque ratio vna est, eademque, nec intensiorem nec remissionem ullam suscipiens. Aquilinum autem esse aut simum aut coleratium, intenditur atque remittitur. Cum igitur species differentiarum tres ita appareant
 & earum alie sint inseparabiles alie separabiles: & inseparabilium quidem alie per se, alie per accidens: differentiarum per se rursus, alie sunt per quas in species diuidimus genera: alie per quas ea quæ sunt diuisa constituuntur: Veluti differentiæ per se animalis hæc sunt omnes, animatum, sensitium, rationale ac irrationale, & mortale ac immortale: atque animati quidem & sensitiui differentiæ, constitutiue sunt substantiæ animalis. Est enim animal, substantia animata sensitua. Mortale verò ac immortale, rationale ac irrationale, animalis sunt differentiæ diuisiue. Per has enim in species genera diuiduntur. Verum hæc quæ sunt generum diuisiue, constitutiue sunt specierum: nam animal per rationale ac irrationale, & per mortale rursus ac immortale diuiditur: sed mortalis quidem rationalisue differentiæ constitutiue sunt hominis: rationalis verò ac immortalis, Deorum: irrationalis autem atque mortalis, animalium expertium rationis. Sic & substantiæ supremæ, animatum atque inanimatum, sensitium atque insensituum differentiæ cum sint, a

Tex.v

A iij

nima